

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Gallia multis modis Lutheranizans sive de contemptu concilii Tridentini in Gallia**

**Masius, Hector Gottfried  
Lintrup, Søren**

**[Hafn.], [1710]**

§XI.

[urn:nbn:de:bsz:31-67575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67575)

Clericus rebellionis contra Principem secularem particeps esset, non tamen criminis læsæ Majestatis reum fieri. (β) Pro immunitate autem Clericorum jus divinum & humanum urget Bonifacius VIII. C. *quoniam de censibus*; expresse pronuncians: *Jure divino & humano Clericos eorumque bona a seculari potestate libera esse.* In quam sententiam legi quoque meretur Concilium Lateranense sub Leone X. Sess. IX. Nec abiit ab hac communi sententia Concilium Tridentinum; sess. XXV. cap. 20.

(α) Jus divinum urgent isti homines, nec tamen tabulas juris producunt, immemores plane facti Salomonis, qui summum Sacerdotem Abiatharem de statu dignitatis & officii dejecit. 1. Reg. II. 27. Consulant Canonistæ ipsum Jus Canonicum, & ex eo discant, Imperatores olim habuisse potestatem non Clericos tantum inferiores, sed et ipsos Pontifices coercendi. Id probavit Jacobus I. Rex Angliæ in præfatione monitorii ad Principes Christianos. Veneti etiam in responsione sua ad Paranesin Baronii idem prolixè satis demonstrarunt. Non vacat hic commemorare exempla Constantii & Justiniani Imperatorum, quorum ille Papam Liberium in exilium misit, hic autem deposuit Sylvium. Ne quid de Ottone I. addam, qui Johannem XII. sede expulit, suscepto in ejus locum Leone VIII. aut de Henrico III. Imperat. qui Gregorium VI. de statione papali dejecit, & Clementem II. ordinari jussit.

(β) Legi potest Suarez in defensione fidei Catholicae adversus Anglos lib. IV. & Becan. in Respons. ad Aphorism. Calvinist. p. 74. Ceterum quam perniciofa sit Reip. hæc doctrina, prolixè probat Arnisaus tractat. de Exemptione Cleric. Conf. Laurent. Banc. tractat. de Tyrannide Papæ cap. 9. pag. 217.

§. XI.

Quid vero ad hæc clerus Gallicanus? perniciosam esse ait hanc doctrinam, nec in Rep. bene constituta tolerandam; imo eam repugnare Juri divino, & auctoritati Regum divinitus concessæ vim inferre. Exemptionem clericorum in Scriptura non esse fundatam, subjici eos potius seculari potestati lege divi-



divina, nec quiequam obstare, quo minus Magistratus pro re nata in eorum bona, vitam & fortunas animadvertere possit. In criminalibus, personalibus & civilibus eandem esse omnium subditorum rationem. Idque juris divini & humani esse ajunt, provocantes ad universalitatem dicti *Rom. XIII. 1. omnis anima potestatibus subdita sit.* (α)

(α) Jam olim hunc locum Carolus Calvus Rex Gallie contra Adrianum II. in Epistola ad Pontificem urgebat, ut videre est in Catalogo testium veritatis pag. 942. Hodie autem a clero Gallicano ad nauseam usque inculcatur, sicubi de negotiis Regalia questio est. Et sane universalitati Apostoli rectissime insistant, secuti Bernhardum, qui ad Archiepiscopum Senonensem Epist. XLII: Si omnis, inquit, anima subiecta debet esse, Ergo & vestra. Quis vos exceptit ab universalitate? si quis tentat excipere, conatur decipere.

§. XII.

Porro Pontifici Romano tantum licere in Reges ac Principes imo & Imperatores, ut eos si quidem in heresim incidant, aut Romane sedi sese opponant, de regno deturbare, possessionibus suis expellere, subditos autem juramento fidelitatis solvere possit, non tantum Roma docuit, sed & facto comprobatum voluit. Eademque sententia licet in Concilio Tridentino non sit expressa, conformis tamen illis est (α) contra vero nunquam Gallia eo simplicitatis aut superstitionis progressa est, ut huic doctrinae papali assurgeret, quin potius eam partim seditiosam, partim Scripturae contrariam, & in Majestatem Regum injuriam, partim etiam Babylonis, hoc est, Anti-Christianismi notam interpretata est, ut infra ex historia Philippi Pulchri, Henrici II. Ludovici XII. patebit. (β)

(α) Certe hanc doctrinam Concilio Tridentino conformem esse credidit olim populus in Gallia; nam & hec ipsi causa erat, cur publicam Concilii receptionem nollent, quam etiam non ante admiserunt, quam Clerus istam hypothesein aboleret. Verba Grammondi lib. 1. ea de re hec sunt: Creditum tunc